



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

7. De Characterere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

que suscipientis vberiorē gratiæ effectum producat.

C A P. VII.

De Characterē.

Characteris, seu signi spiritualis indelebilis, animæ suscipientis impressi, frequens est mentio apud antiquos Patres, de quo Apost. 2. Cor. 1. *Qui vocat nos Deus, qui & signavit & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Imprimatur vero character, vt Christo tanquam Duci aut pastori suo anima deputeretur & consecraretur.

Tria sunt sacramenta, quibus indelebilis character animæ imprimatur: Baptismus, Confirmatio, & Ordo, ideoq; repeti non possunt. Nam per Baptismum signandus est homo, vt ab infidelibus separaretur, atq; ad ouile Christi pertinēs: Per Confirmationem tanquam miles Christi ad pugnam deputatus: Per ordinem, tanquam deputatus minister Christi & dispensator mysteriorum Dei.

Character est qualitas spiritualis, homini in quibusdam sacramentis diuinitus indita, partim vt eius anima ornetur, ac bene disponatur secundum se; partim vt ea homo deputeretur ad alia sacramenta quædam suscipienda seu tradenda. Secundum priorē considerationem character est & permanens qualitas inhærens ac bene afficiens subiectum, pertinet ad primā speciem qualitatis, quæ est habitus & dispositio; secundum posteriorem quatenus hominē idoneū reddit character & alia sacramenta suscipienda aliisq; tradenda reducit ad secundā speciem qualitatis, quæ est potentia & impotētia. Nam in primis character baptismi hominem reddit idoneum ad alia sacramenta, valide accipienda, atque vt matrimonii

monii

monii sacramentum ministrare possit, character confirmationis ad constantiam fidei ordinis, ad conficiendum & fidelibus dispensandum corpus Christi.

4 Effectus gratiæ in sacramentis non iterabilibus, si propter suscipientis indispositionem impeditus fuit, remoto obice, statim confertur: Ratio est, cum sacramenta characterem imprimantia constituent hominem in statu immutabili, sed dum obex gratiæ durat imperfecto & diminuto, quia character est quasi potentia passiva, quæ perfici debeat aduentu gratiæ sanctificantis, per quam demumius acquiritur ad gratias actuales homini necessarias, ideo credendum est, Deum misericorditer ita instituisse, ut recedente obice seu fictione mox effectus gratiæ sacramentalis ex opere operato conferratur.

5 Credibile est etiam post acceptum sacramentum extremæ unctionis, matrimonii aut Eucharistiæ nondum absumptis speciebus remoto obice gratiam conferri: Quia licet characterem non imprimant, tamen constituunt hominem aliquandiu in statu tali, quo nova sacramenti susceptione gratiam sacramentalem consequi non possit. Quare videtur ita misericorditer à Deo institutum esse, ut moraliter veluti habitu quodam perdurent ad eandem gratiam sacramenti remoto obice conferendam.

C A P. VIII.

De numero sacramentorum.

I Septem sunt novæ legis proprie dicta sacramenta à Christo instituta iuxta Trident. Et hanc doctrinam non solum Latini omnes, sed etiam Græci & Ar-